

Seminariae antiquorem uti Collegiatam insignem supra Capitulum Sinopuli occasione Synodi dioec., Sessionum et Processionum aliarumque functionum causa illius celebrandarum sub quovis praetextu. N. 2721 die 9. Febr. 1675.

Ad Praepositos forenses Dioecesis Papiensis spectare praecedentiam eosque praecedere debere Vicariis foraneis in processionibus, sessionibus et aliis actibus fieri solitis occasione Synodi dioecesanae. N. 3049 die 11. Martii 1664.

Ad dub.: An Dignitates et Canonici Praebendati Ecclesiae Portug. debeant tam in locis et sessionibus quam in processionibus et reliquis Synodi actibus praecedere Abbates mitratos?

S. C. resp.: Servetur Caerem. num. 3139 ad 1. die 14. Junii 1687.

Occasione Synodi de sessione serventur notata per Gavantum in praxi c. 13. n. 10. tit. de Synodo. n. 4031 ad 7. die 12. Martii 1735.

f) Processionis crux.

Ad dub.: An in Processionibus, quae fiunt occasione Synodi, tam Capitulum quam Collegium Parochorum incedere debeant, sub unica Cruce totius Cleri seu potius quibus competit jus elevandi propriam Crucem, in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative ad primam partem et elevandam esse unicam tantum crucem Cathedralis et amplius. Die 7. Junii 1760.

g) Surrogatum.

Episcopus pro statuendis legibus synodalibus seu dioecesanis, attenta aeris temperie et nociva sanitati, potest in alium locum salubriorem ad se vocare duos Canonicos procuratores Capituli et duos alios procuratores Cleri. num. 160 ad 1. die 3. Augusti 1602.

Januen.

(Conc. Trid. C. 10. Sess. 25., C. 2. S. 24. De ref.)

S. Concilium Tridentinum cap. 10. sess. 25. de reform. statuit: *In singulis Conciliis provincialibus aut dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant, juxta Constitutionem Bonifacii VIII., quae incipit: Statutum, et alioquin ad id aptas designari ut praeter Ordinarios locorum, iis etiam posthac Causae ecclesiasticae ac spirituales, et ad Forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum usque ad futuram provincialem aut dioecesanam Synodum etc.*

Occurrit in his terminis casus in Dioecesi Januen., in qua per plures annos non fuit celebrata Synodus provincialis aut dioecesana. Propterea Eminentissimus Archiepiscopus dubius de facultate, si aliquis interim mori contigerit, substituendi alium in ejus locum, reverenter recurrit ad hanc S. C. pro declaratione: *an valeat uti dicta facultate substituendi alium, etsi Synodus tam provincialis quam dioecesana non fuerit infra tempus a Concilio praescriptum sess. 24. cap. 2. de reform. celebrata. Unde expeditius sapientissimum oraculum EE. VV. ut declaretur:*

An et quomodo valeat Eminentissimus Archiepiscopus procedere ad substitutionem Judicium Synodalium in casu etc.?

S. C. resp.: In casu, de quo agitur, detur Archiepiscopo facultas substituendi cum consilio Capituli.

Die 1. Junii 1709.

h) Tempus.

Vd.: Canonici (Feriae)

Ad dub.: An Episcopus pro sta-

tuendis synodalibus, seu dioecesanis, attenta aëris intemperie et nociva sanitati ipsius Episcopi, possit in alium locum salubriorem et commodiorem, predictis legibus determinandis et statuendis ad se vocare duos Canonicos procuratores Capituli et duos alios procuratores Cleri? S. R. C. respondit, „posse, dummodo duo Canonicci praedicti longiori tempore, quam a Concilio praescribitur, a sua Ecclesia non abfuerint.“ Et ita declaravit et ad praedicta dubia ut supra respondit die 3. Aug. 1602. N. 160.

Egitaniens.

Pro parte Episcopi Egitanien. iterum institutum fuit super primo dubio in praecedenti Congregatione proposito et pro concessione longioris temporis quam a Concilio praescribitur, cum id tempus non sufficiat ad leges

synodales statuendas, in quibus determinandis diu laboratur, cum omnia exacte examinentur coram Episcopo et dictis Procuratoribus et aliis Doctoribus, et cum dictae leges respiciant utilitatem publicam totius Dioecesis, petitum fuit, ut dictis duobus Canonicis licentia concederetur abesse ab Ecclesia per totum tempus, quod hujusmodi negotium durabit: maxime cum in Ecclesia pro ejus servitio tringinta existant personae.

S. C. respondit: „Tempus indefinitum non esse dictis Canonicis concedendum, sed, attentis narratis, posse concedi tempus sex mensium“, censuit et declaravit. N. 161 die 30. Aug. 1602.

2) Provincialis.

(Sedes Episcoporum inter se se.)

Vd.: Sedes Episcoporum, in Synodo provinc.

T.

TABACCUM.

Vd.: Habitus Clericorum. (n. 7.); Visitatio Presbyt. (n. 5.)

Ad dub.: An in choro et in Sacraario inter Missas sumi possit tabaccum?

S. C. resp.: Servandum esse Breve PP. Urbani VIII. die 30. Jan. 1642 editum incipiens: *Cum Ecclesiae etc. n. 1454 ad 3. die 13. Junii 1643.*

BREVE URBANI PAPAE VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum Ecclesiae divino cultui dicatae domus sint orationis, easque propterea omnis sanctitudo deceat, meritos, quibus cunctarum per Orbem universum Ecclesiarum cura a Deo com-

missa est, advigilare convenit, ut ab eisdem ecclesiis quicunque actus profani et indecentes procul arceantur. Itaque cum, sicuti pro parte dilectorum filiorum Decani et Capituli Ecclesiae, Metropolitanae Hispalensis Nobis nuper expositum fuit, pravus in illis partibus sumendi ore vel naribus tabaccum, vulgo nuncupatum, usus adeo invalerit, ut utriusque sexus personae ac etiam Sacerdotes et Clerici, tam saec. quam regulares, clericalis honestatis immemores, illud passim in civitatis et dioecesis Hispalensis ecclesiis, ac quod referre pudet, etiam ss. missae sacrificium celebrando sumere linteaque sacra foedis, quae tabaccum hujusmodi prolicit, excrementis conspurcare ecclesiasque praedictas tetro odore

inficere magno cum proborum scandalo rerumque sacrarum irreverentia, non reformident.

§. I. Hinc est, quod Nos, ut abusus tam scandalosus ab ecclesiis hujusmodi prorsus eliminetur, pastorali nostra solitudine providere ac Decanum et Capitulum praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latitis, si quibus quomodolibet innotatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus ipsorum Decani et Capituli, Nobis super hoc humiliter correctis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus personis, tam saecul. quam ecclesiasticis etiam cuiusvis Ordinis, Instituti ac Militiarum, etiam Hospitalis s. Joann. Hierosolymitani Regularibus quomodolibet qualificatis et quantumlibet privilegiatis et exemptis etiam speciali nota et expressione dignis, ne de caetero in quibusvis civitatis et dioecesis praedictarum ecclesiis earumque atriis et ambitu tabaccum sive solitum sive in frusta concisum aut in pulverem redactum ore vel naribus aut fumo per tubulos et alias quomodolibet sumere audeant vel praesumant sub excommunicationis latae sententiae eo ipsa absque aliqua declaratione per contrafacientes incurrendae poena, auctoritate ap. tenore praesentium interdicimus et prohibemus.

§. II. Quocirca V. Fratri Archiepis. Damatiensi moderno et pro tempore existenti nostro et ap. Sedis in Regnis Hispan. Nuntio per praesentes committimus et mandamus, quatenus per se vel alium seu alios praesentes literas et in eis contenta quaecumque,

ubi et quando opus fuerit solemniter publicari faciat illas et in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari: contradictores quoslibet et rebelles ac prohibitioni hujusmodi non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaeque opportuna juris et facti remedias, appellatione postposita compescendo invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§. III. Non obstantibus felicis record. Bonifacii PP. VIII. Praed. nostri de una et in Concilio gen. edita, de duabus dictis, dummodo ultra tres dictas aliquis auctoritate praesentium in judicium non trahatur aliisque Constitutionibus et Ordinationibus ap. etiam Conciliaribus, necnon Ecclesiastrium praedictarum ac quorumvis Ordinum, Congregationum et Institutorum regul. ac Militiarum et Hospitalis s. Joannis Hierosol., etiam juramento, confirmatione apost. vel alia quavis firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, stabilimentiis, usibus et naturis ac Ordinationibus capitul., privilegiis quoque, indultis et literis ap. in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus vel alicui, conjunctim vel divisi, sit ab eadem Sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdicti non possint per literas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de induito hujusmodi mentionem.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Pisc. die 30. Januarii 1642. Pont. nostri anno decimo uno.

Excommunicationis poena Tabaccum sumere in Basilica Vaticana ejusque

Choro, Capellis, Sacrario Porticu et Atriis sumere prohibuerat Innocentius X. sub die 8. Januarii 1650. Const. incip.: *Cum sicut. Ast istam sustulit Benedictus XIII. sub die 10. Jan. 1725 ut patet in sequenti Notificatione:*

„Annibal miseratione divina tit. s. Clementis Presbyter Cardinalis Alba-nus S. R. E. Camerarius et hujus sacrosanctae Basilicae Archipresbyter.“

Omnibus et singulis nostras hasce literas inspecturis compertum esse volumus a ss. D. N. Benedicto divina providentia PP. XIII. per ejus speciale Chirographum seu motum proprium ad nos directum et datum sub die X. mensis hujus Januarii anni 1725 nobis a Sanctitate sua demandatum fuisse, ut cunctis Christifidelibus utriusque sexus ac praesertim Reverendiss. Capitulo et Clero sacrosanctae Basilicae Vaticanae significemus et notum faciamus, prout praesentibus exequimur, ab eadem Sanctitate sua, justis prudentibusque de causis in eodem motu proprio indicatis, certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, abolitam fuisse ac penitus abrogatam prohibitionem, alias a fel. rec. Innocentio PP. X. factam, qua sub poena excommunicationis ipso facto incurenda omnibus et singulis vetuerat, ne in Basilica praefata ejusdemque sacrario, Choro, Capellis, Porticu et Atrio Herbam Nicosianam, vulgo Tabaccum nuncupatam sive in solidum sive in frusta concisum sive in pulverem redactum, fumum ex eo elicitem ore, naribus aut alias quomodolibet sumere auderent vel praesumerent: et virtute memorati Chirographi quibuscumque a Sanctitate sua factam fuisse potestatem dicto Tabacco in recensisit sacris locis pro libito utendi illumque sumendi, cuiusvis ecclesiasticae censurae combinatione omnino sublata.“ „Quia tamen in laudato motu proprio eadem

Sanctitas sua expresse declaravit, ejusdem mentem non esse aut unquam fuisse, ut ex narrata permissione, reverentia et honor dictae sacrosanctae Basilicae debitus ullenatus minuatur et ideo nobis, qui praefatae Basilicae immeriti quamvis Archipresbyteri munere fungimur, districte preecepit, ut ejusdem Reverendiss. Capitulo et Clero, qui caeteris aliis exemplo preeire debet, ea servanda mandaremus, quae ad augendam Domus Domini Sanctitudinem et cultum huic toto Orbe celeberrimae Basilicae praestandum, cuius incrementum Sanctitas sua quam maxime in votis habet, facere et conducere judicaremus.“

„Hinc piissimis hisce Sanctitatis suae mandatis morem ex animo gerentes, praesenti Edicto Rev. Capitulo totique Clero suprad. Basilicae districte in Domino preecipimus, non modo, ut in ipsa Basilica vel ejus Choro aut Sacrario Tabaccum ita circumspecte sumant, ut nemini eorum, qui aderunt, scandali et offendit ingerant occasionem, verum etiam, quod illorum nullus, praesertim dum Choro interest et divinis operatur officiis, Arculam seu Thecam, in qua Nicosianam pulvrem servat, ad alios in orbem seu gyrum mittere palam et publice audeat, sub poenis arbitrio nostro juxta modum inobedientiae infligendis. Volumus autem, ut haec voluntatis nostrae significatio praesentibus literis consignata in Sacrario memoratae Basilicae ac in loco conspicuo, qui ab omnibus cerni possit, semper affixa remaneat in perpetuum omnium superdictorum preeceptorumque monumentum.“

Dat. Romae ex nostro Palatio ad quatuor fontes 15. Januarii 1725.

Loco + Sigilli.

A. Card. S. Clem. Arch.

Tabacci cujuscumque usus ante Missam et communionem indecens est, ut notant passim Doctores et signanter *La Croix* lib. 6. part. 2. n. 560. ubi dicit, quod Urbanus VIII. Constit. 161. et Synodus Coloniensis pag. 88. prohibent, ne ullus Clericus vel Laius ante Missam vel Communionem sumat Tabaccum nasale; si autem Tabaccum traheret fumo, adhuc magis dedecret, uti notant Doctores cum Busemb. lib. 6. part. 1. tr. 3. cap. 2. dub. 2. art. 2. vers. Et si parvitas, et multo magis dedecret, si masticaretur.

An vero sumptio Tabacci frangat jejenum naturale? Variant Doctores. Antonius enim de Leone in quaestionibus moralibus de Chocolata part. 1. §. 4. n. 10. et seq., *Lezana* tom. 2. verb. Eucharistia n. 16. et alii, dicunt violari jejenum naturale ad Communionem requisitum, quando aliquis fumum vel pulverem Tabacci naribus sumit. *At vero rectius hanc sententiam rejiciunt Diana* part. 5. tract. 13. resolut. 1. et part. 8. tract. 7. resolut. 3., *Pasqualig.* in praxi jejunii decis. 438., *Lugo* in respons. moral. lib. 1. dub. 9., *La Croix* lib. 6. part. 1. n. 570. cum aliis ibi citatis et alii passim; et ratio est, quia illa non est vera comestio vel potatio, quibus solis jejunium solvit; sed vel est trajectio saliva vel respiratio vel attractio seu efflatio narium.

Difficultas major est de his, qui folia Tabacci ore sumunt et dentibus conterunt ad sputa et phlegmata ex ore projicienda. De istis enim Antonius de Leone loc. cit. dicit non esse dubium, quod violent jejunium, quia semper aliquid ex succo in stomachum trajicitur; et ipsum sequuntur alii et praesertim *Lezana* l. c. dicens frangi jejunium, nisi moraliter certum sit, nihil in stomachum pervenisse. Et Alphonsus de Leone et Joannes Praepositus, quos afferunt et

sequitur Diana loc. cit., *Raynaud.* in Heter. tom. 16. sect. p. 3. n. 23. et alii dicunt non violari jejunium, si nihil in stomachum trajiciatur: *Gobat* autem t. 1. tr. 4. n. 265., *Burg.* et *Mercant.* cum *La Croix* lib. 6. part. 1. n. 569. et alii plures et ex professo *Lugo* in Respons. moral. lib. 1. dub. 6. n. 5. dicunt, per id minime frangi jejunium fateturque ibi *Lugo*, quod talis sit praxis Doctorum et piorum virorum, qui absque ullo scrupulo Tabacco utuntur et ejus folia primo mane ore versant et dentibus conterunt et postea ad Communionem et Missam celebrandam accedunt sicutque sibi respondisse omnes a se consultos „viros doctos et Theologiae Professores volentes, quod ad hoc, ut Tabaccum ore sumptum et dentibus contritum sputa et phlegmata aliosque superfluos humores attrahat, non sit necesse ut aliquis succus foliorum Tabacci descendat in stomachum, quia fieri potest per vim attractivam, ex consensu linguae et palati cum stomacho, cerebro alisque partibus continentibus.“ Caeterum tenendum est, quod si aliquis Tabacci succus in stomachum trajicitur, tunc frangatur jejunum naturale; secus autem non, ut praeter supracitatos cum aliis docet etiam *Pontas* verb.: *Missa* cap. 6.

Tabacci praesertim excessivus usus, ni dicam abusus, non parva affert incommoda, si expertibus in arte medica fidem habere velimus. Simeon Paulus enim Medicus Regius Tarbinsiensis pag. 8. terg. litt. D. sic expresse habet: Quotus quisque ergo est, nisi ipse sit Architabaccarius atque adeo animo occupato, qui non intelligat, quod meatibus aut foraminulis ossis ethmoidis a pulvere Tabacci obturatis, cum cerebrum per os ethmoidis neque aerem, ut eo ventiletur, neque rerum odorabilium species admittere possit, quin necessario

olfactu intercidat.“ Et paulo post: „Cum ergo ad nasi radices usque pulvis Tabacci narcoticus magna copia violenter attrahatur et punctum temporis natura otiosa non sit ac in vivo corpore ex Decretis Hippocratis nostri, omnia sint permeabilia ac transpirabilia, utique alter fieri non potest, ut innui, quin partes olfactui destinatae a narcotica Tabacci facultate affligantur.“

Et Jo. Chrysostomus Magnenus, Professor Medicus in Universitate Ticinensi, Exercit. 8. §. 4. sequentia Tabacci incommoda recenset: „Primum incommodum est Odoratus abolitio; membranarumque nervique odoratorii exsiccatio, processum mamillarium tabes, ut probavimus.“ §. 15. Exerc. 6. secund. „Inducta cerebro intemperies, quae memoriam labefactat. Tertio operantur in Medicina isti, quando quiescere licet, quod furoris genus appellat Celsus. Quarto altrahunt a ventriculo ad cerebrum humores pravos immoderataque exsiccatione aliqui vix sibi satis constant. Quinto senium, mortem accelerant adventitia siccitate humido radicali infesta. Sexto febris acutis magis obnoxii redduntur, itemque deliriis, et phrenetidi. Septimo, vidi non neminem, cui insanus hujus pulveris usus crystallinum corrogaverat humorem, unde et fluitantia cernebat objecta. Octavo durior auditus fit iis, qui parvum caput sortiti sunt tinnitus aurium cuiuspiam contingit effrenato hujus pulveris usu.“

Tabaccum Jacobus VI. Britannorum Rex interdixit suo in Regno, bene persuasus ex ejus usu corpora hominum enervari.

Et Amureetus IV. Turcarum Imperator sub poena capitali ipsum prohibuit, teste dicto Mageno Exerc. 6. §. 10. et 11. ne subdit vel inebriarentur vel infoecundi redderentur.

Quamvis Tabaccum cujuscumque generis ante et paulo post celebratorem Missae et sumptionem Eucharistiae, quaedam Synodi etiam sub Censuris interdixerint; qua propter his suffulti auctoritatibus *Clericatus* de Sacrament. Eucharist. decis. 54. num. 12. cas. 2., *Natalis Alexander* Theolog. Dogm. et moral. t. 1. in append. 1. variar. Epistol. 45., *Sarnellus Episcopus* tom. 6. Epistol. ecclesiastic. Epist. 30., *Hurtad.* resolut. moral. tom. 2. tract. 11. cap. ult. docuerunt, oportere ac decere, ut Episcopi in suis Synodis edicant, ut a nemine ante Missae celebrationem aut sanctissimae Eucharistiae perceptionem, tabacci folium manducetur; *Benedictus XIV.* De Synodo dioecesana lib. 7. cap. 63. n. 3. relicta in medio seu indecisa quaestione de tabacci foli masticatione, tradit nequam hodie expedire, ut usus tabacci fumi aut pulveris naribus attracti sub Censurarum poena interdicatur, cum hodie a communi consuetudine sit adeo talis usus cohonestatus, ut nulli prorsus scandalum praebeat aut admirationem causet. Unde nimium severus notaretur Episcopus, qui dictis antiquis Synodis insistens dicti Tabacci usum aut omnibus ante sacrae Eucharistiae perceptionem aut solis Sacerdotibus ante Missae celebrationem interdiceret, adjecta praesertim in transgressores Censurarum poena.

TABELLA.

1) Casuum reservat. in sede confess.

Vd.: Visit. de Poenitentia.

2) Horaria.

a) Pro adorat. SSmi expositi.

Vd.: SS. Sacram. (adorat.); Expos. SSmi (adoratio.)